



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. VIII. Quomodo, & unde quis laudem virtutis promereatur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

## De objectis virtutum.

*Quænam sunt virtutum omnium objecta?*

Voluptas & dolores. Nam circa hæc moderanda versantur virtutes.

*Quomodo id probas?*

Si omnis habitus versatur circa illa ex quibus generatur aut corrumpitur; objecta erunt virtutum voluptas & dolor: Atqui prius: Igitur & posterius.

*Unde illud consequitur?*

Quia voluptatum blandimentis ad ea gerenda quæ prava sunt impellimur, & dolorum cum admoventur faces à rectè factis deducimur. Quamobrem hi duo affectus faciunt, ut vel consequamur vel amittamus etiam habitum virtutis.

*Potesne idem alio etiam argumento docere?*

Quidni? Virtus versatur circa difficilia juxta proverb. δύσκολα κτὶ κέρδι: Nihil autè difficilius quàm obfistere voluptatibus & dolorib. vt testatur Heraclitus: Ergo in iis occupatur virtus.

## CAP. VIII.

Quomodo, & unde quis laudem virtutis promereatur.

*Suntne ii dicendi virtutibus præditi, qui res agunt virtuti congruentes: justi nimirum aut temperantes, qui res justas vel moderatas agunt?*

Minimè: sed res justas moderatas agendo illas ipsas virtutes consequimur.

*Sed qua ratione quis justas actiones ediderit qui nondum factus est justus? nemo enim nisi ante sit Grammaticus Latine loquitur?*

Quemadmodum nemo Grammaticus dicitur, nisi qui ex artis habitu, quem longo usu comparari necesse est, Latine loquitur: Sic nemo justus aut temperans dicitur, aut alia virtute exornatus, nisi <sup>et</sup> sibi crebris actionibus acquisiverit.

## CAP. IX.

*De virtutum & vitiorum oppositione. Repugnante extremae affectiones ipsis virtutibus?*

Omnino. Quin & ipsae inter se contrariae sunt.

*Utra vero repugnantia major est, virtutis cum extremis vitiosis, an extremorum inter sese?*

Major extremorum videtur inter se, quam cum virtutibus repugnantia & dissimilitudo. Quandoquidem longius abest alterum ab altero, quam utrumque a medio.

## LIBER III.

Argumentum libri tertii.

*Docuit in precedentibus Aristoteles virtutis actionem a voluntate hominis ejusque studio provenire: in sequenti igitur libro copiosius persequitur actiones voluntarias, & involuntarias, ut eo plenius virtutis principium & causas demonstraret. At deinde ad specialem virtutum singularum explicationem progreditur.*

CAP.